



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita Beatissimi Patris Francisci: Ex ea quam S. Bonaventura, Cardinalis & Episcopus Albanensis doctiſſimus eiusdem instituti ſectator conſcripsit. Migravit ex humanis anno Domini 1226. Relatus inter ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

inuentum est, dum sacras reliquias Henricus Episcopus recenseret; quas in ea Ecclesia extare, à maioribus traditum erat: Vixit autem iisdem ferè temporibus in Gallijs eiusdem nominis Episcopus; anno nimirum Domini 452. fortasse ille, ad quem extant duæ Sidonij Apollinaris epistolæ.

VITA BEATISSIMI PATRIS FRANCISCI: Ex ea quam S. Bonauentura, Cardinalis & Episcopus Albanensis doctissimus eiusdem instituti sectator conscripsit. Migravit ex humanis anno Domini 1226. Relatus inter sanctos à Gregorio Papa nono, anno 1228. XVII. Kalend. Augusti. Translatum est corpus eius anno 1230. VIII. Kal. Iulij: ad basilicam in honore ipsius constructam.

Fide Notat.
C. Baron in
Martyrol.
Rom.

4. Octob.

Patria eius.

Optima eius
indoles.

Eius bene-
gnitas in
pauperes.

FREGIUS planè vir Franciscus, Assisij ciuitate oriundus, omnibus extrà controuerfiam cælestis philosophiæ ornamentis decoratus, admirabile planè suæ conuersionis habuit initium. Etenim cùm inter vanos mundanosque homines, in vanis iuuenili ætate fuerit enutritus, & post aliqualem literarum notitiam lucratiuis mercatorum negocijs deputatus, nequaquam tamen inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, carnis sese petulantij tradidit; nec inter cupidos mercatores mentem in pecuniæ thesauros per fas perque nefas coaceruandos defixit. Inerat namque ei ardens quoddam pauperibus benignè faciendi studium, & insita quædam diuinitus erga inopes & calamitosos miseratio: pror-

proorsus vt neminem pro Dei amore stipem petentem vacuum à se dimittere proponeret. Cū autem quadam vice solis negociationis intentus tumultibus, præter insolitum morem pauperem à se repulisset, statim poenitudine ductus, rapido cursu illum affecutus est, & elemosyna clementer impensa, promisit Domino Deo nunquàm deinceps se pauperi pro facultate stipem pro amore Dei petenti negaturū. Quod sanè ad extremum vitæ spiritum indefessa pietate vir sanctus obseruauit. Porro animi lenitas cū eximia morum elegantia coniuncta, cæteræque dotes, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indicijs, quædam videbantur esse præludia, quibus à Domino tandem ad summæ perfectionis sanctitatisque culmen prouehendus erat.

*Virtutes ei⁹
adhuc laici.*

Hinc vir quidam miræ simplicitatis à Deo, vt creditur, eruditus, cū aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Fracisco, suum ipsius pedibus venerabundus strauit vestimentum; asserens eum omni reuerentia dignum; vtpotè qui breui magna facturus, ab vniuersa fideiū plebe magnificè esset honorandus. Ceterum Franciscus diuini erga se consilij ignarus, rerumque cælestium adhuc rudis, mundanis sese oblectabat voluptatibus; donec à Patre misericordiarum diutinis afflictus languoribus ex afflictione corporis ad spiritalis vitæ intelligentiam paulatim excitari coepit. Cū itaque ex longa infirmitate resumptis viribus, solito more cultioribus, se vestibus induisset, fortè obuium habuit militem generosa quidem animi virtute insignem, sed pauperem satis, sordibus miserè

*Vaticinium
cuiusdam de
eo.*

*In aduersis
eruditur à
Domino.*

Viso eius.

*Vult se dare
militia, sed
diuinitus re-
uocatur.*

*Aggreditur
vitam spiri-
tualē ab hu-
militate.*

serè squalentem: quem protinùs pio miseratus affectu, suo illum habitu donauit, & benignè admodùm eius penuriam subleuauit. Nocte verò sequenti, cum se sopori dedisset, vidit regiam, speciosam & magnam, militaribus armis Christi Crucis signaculo insignitis, mirificè fulgentem, alijsque rebus splendidis ac preciosis ornatam. Cumque cunctabundus cuiusnam illa forent omnia, quæreret, audiuit ea sua futura, pro eleemosyna pauperi militi benignè impensa. Ea visione incredibiliter exultans Franciscus disposuit, utpotè rerum diuinarum adhuc rudis, in Apuliam ad Comitem quendam liberalem admodùm se conferre; sperans se ibidem offensurum militiæ decus & gloriam illic adepturum. Cumque paulò post iter aggressus, ad proximam ciuitatē diuertisset, nocte audiuit familiari sibi sermone dicentē Dominum: Francisce, quisnam melius tibi facere potens est? Dominus an Seruus? Diues aut pauper? Cui cum Franciscus promptè respōdisset: Vtiq̄ tam Dominum quàm diuitem melius facere posse, intulit statim: Cur ergò tu pro seruo Dominum; pro paupere homine diuitem Deum relinquere statuis? Reuertere igitur in terram tuam, spiritalibus à me opibus, non terrenis ditandus.

Mane itaque factò, cum festinatione Affisium reuersus, cœpit abdicato publicæ negotiationis tumultu, diuinam attētiùs opem implorare: ut quid sibi factò opus esset, clariùs ostendere dignaretur. Itaq; frequenti orationis vsu cælestis desiderij flammam quotidie accendens, à mundi cōtemptu sui que ipsius victoria

ini-

in initium auspicatus est. Quadam die per planitiem, Assisio civitati subiacentem inequitans, fortè inopinato occurrit leprosus : qui prima fronte non paruum ei incussit horrorem. Sed mox propositi sui memor ad deosculandum eum, equo lapsus, accurrit. Cui cum manū, quasi aliquid accepturus, leprosus protēderet, pecuniam cum osculo reportavit. Indè ascēdens rursus equum cum se circumquaque conuerteret, leprosum illum minimè vidit. Admiratione itaque repletus & gaudio, ardenti desiderio seipsū ad maiora excitavit : ac proindè solitaria loca mœroribus amica requirens, gemitibus inenarrabilibus Domini clementiam incessanter deprecatus est. Nec in vanum multiplicatæ preces. Nam die quadā nimio in Deū feruore absorptus, ipsum Salvatorem veluti cruci confixum conspicatus est : cuius aspectu adeò passionis Christi memoria cordi ipsius medullitus est impressa, vt à lachrymis gemitibusque ad primam eius recordationem deinceps sibi nunquàm temperare posset. Itaque vt Christi Salvatoris sui vestigijs viriliter insisteret, multò vehementiùs sui ipsius contemptum expetere : paupertatem humilitatemque totis viribus sectari : leprosoꝝ hominum consortia adamare : eisque humanitatis obsequia benefica pietate præstare.

Cum aliquando limina Apostoli Petri visitareret, cōspecta pauperum multitudine antè fores ecclesiæ, partim pietatis dulcedine ductus, partim paupertatis amore allectus, vni ex eis magis egēti proprias largitus est vestes: illiusque

Christum osculatur in leproso.

vidit Christum crucifixum.

Summa amor paupertatis.

que contactus semicinctijs, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus iucunditate transegit: spretoque secularis gloriae fastu, quasi gradatim ad Euangelicam perfectionem conscendit. Et quia seruus altissimi nullo ductore doctoreve per ignotas semitas ambulabat, Christus Dominus en altera vice eum visitare dignatus est.

*En infigne
miraculum
in imagine
Crucifixi.*

Cum die quadam in S. Damiani, quae praenimia vetustate ruinam minabatur, ante Crucifixi imaginem non sine lachrymis prolixius oraret, vox de ipsa Cruce ad eum dilapsa; Vade, inquit, Francisce & labantem domum meam restaura. Tremefactus ea voce Franciscus, mentisque excessu alienatus, cum ad se tandem reuersus esset, surrexit; sumptisque pannis venalibus Fulgineum abijt: ibique venditis, quae portauerat, pariter & equo, cui infederat; assumpto precio, cuncta dereliquit. Rediensque Assisium pauperi cuidam sacerdoti in illa forte ecclesia inuento pecuniam ad templi restoratione deuotus obtulit: & habitationem ad tempus apud eum requisit. Acquieuit sacerdos petitioni ipsius, sed oblatam pecuniam timore parentum recusauit. Quam verus pecuniarum contemptor in quadam fenestram proiciens, abiectam velut puluerem vilipendit.

*En pecuniarum
contemptum.*

*Latitans
queritur a
patre.*

Moram autem faciente seruo Dei cum sacerdote, parens animo perturbato ad locum venit. At ipse, auditis persequentium minis, occultam quandam in foueam diebus aliquot se abdedit: ac deinde damnata apud semetipsum pusillanimitatis ignauia, relicta fouea & abiecto pauore Assisium verius iter aggressus est.

Quem

Quem cum ciues facie squalidū ac mente mutarum cernerent, ac per hoc à sensu alienatum putarent, luto platearum & lapidibus impetebant: & tanquam insano & dementi clamorosis vocibus insultabant. Cumque clamorem huiusmodi audisset pater, statim accurrens, non ad liberandum, sed perdendum potius, omni miseratione subtracta, pertractum, domi primò verbis, deinde verberibus & vinculis angit. Ipse autem nulla fractus aut mutatus iniuria, ad exequendum opus Domini promptior validiorque reddebatur.

Multis iniurijs afficitur à ciuibus.

Item à patre.

Constantia eius.

Post hæc patre è patria rei domesticæ causa discedente, mater eius à vinculis absolutū abire permisit. Pater autem domum reuersus, eoque non inuento, illatis vxori conuicijs, fremens furensque eum inquisiuit: vt, si reuocare non posset, de prouincia effugaret. Franciscus verò Christi gratia confortatus, furenti se vltro obtulit parenti, libera voce clamās, se pro nihilo vincula & verbera ducere: insuper & contestans se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Videns itaque pater inflexibilem eius constantiam, ad extorquendam pecuniam se conuertit. Qua tandem in fenestella inuenta, aliquantulum ipsius mitigatus est furor; auaritiæ siti utcunque per haustum pecuniæ temperata. Tentauit deinde pater carnem, filium gratiæ pecunia iam nudatum ducere coram Episcopo ciuitatis, vt in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ibi tunc Franciscus coram Episcopo, continuo omnibus depositis vestimentis, restituit ea patri: Reper-

Contemnit vincula ac verbera.

Renunciat omnibus facultatibus.

E tus

*En vt oculi
te carnem
domabat.*

*Denudatus
à patre, ite-
rum vestitur
ab Episcopo.*

*Incidit in
latrones.*

tus est autem vir Dei, cilicium habere ad nudam carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando feruore, spiritu ebrius, reiecit etiam femoralibus, planè denudatus, inquit ad patrem: Usque nunc vocaui te patrem in terris: amodò autem securè dicere possum: Pater noster, qui es in cælis: apud quem omnem reposui thesaurum, & omnem spei fiduciam collocaui. Hoc cernens Episcopus & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem, protinùs exsurrexit, & inter brachia sua cum fletu eum recolligens pallio, quo erat amictus, operuit: præcipiens suis vt aliquid ei darent ad membra corporis contegenda. Oblata est ei toga vilis & abiecta cuiusdam agricolæ Episcopo seruiantis; quam ille, gratanter suscipiens cœmento ad modum crucis consignauit.

Solutus exindè mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relicta, securus & liber secretum solitudinis petijt, vt solus & silens supernæ audiret alloquutionis arcanum. Dumque per siluam quandam iter faciens laudes Domino lingua Francorum, vir Dei Franciscus, cum iubilo decantaret: latrones ex abditis super eum irruentes, ferali animo, quis esset, interrogârunt. Quibus ille confidentia plenus respondit: Præco sum magni Regis. At illi verberibus afflictum in defossu niuibus plenum proiecerunt locum, dicentes: Iace rustice præco Dei. Ipse verò, recedentibus illis, magno cum gaudio de fossa exiliens, altiori voce per nemora laudes creatori omnium personabat: Indè ad vicinum delatus cœnobium

nobium stipem petijt : quam, vt incognitus & despectus, recepit. Agnitus verò Eugubij à pristino quodam amico, & humaniter susceptus, paupere tunica, vt Christi pauperculus est contactus. Exindè totius humilitatis amator ad leproforum obsequia se totum contulit: lauans ipsorum pedes; vlcera ligans; plagarumque educens putredinem saniem abstergebat. Inter ea admiradæ humilitatis pietatisque officia, quidam, cuius os & maxilla fœdo illo horribilique morbo depasta penè erant, osculo Francisci sanitatem recepit.

*Franciscus
leproforum
seruus oscu-
lo sanat le-
prosum.*

Hiscè tam profundis firmisque humilitatis charitatisque fundamentis præclarè positis, interù sese Assisium contulit, vt diuinæ voci obediens saltem mendicando Damiani Ecclesiam restauraret. Igitur deposita omni verecundia, apud eos, inter quos abundare solebat, mendicitatem exercebat: effecitque mendicando, laborandoque (neq; enim attritum ieiunij corpus ac debile, lapidum oneribus supponere verebatur) vt breui prædicta ecclesia reficeretur. Ea verò refecta, nè post laborem corpus torperet ignauia, transtulit se ad reparandam B. Petri ecclesiam longius à ciuitate distantem: qua similiter consummata peruenit ad locum, qui Portiuncula dicitur: in quo ecclesia Virginis Matri quondam sacra, penitus deserta videbatur. Eo in loco placuit pedem figere: quòd sentiret Angelicarum ibidem visitationum frequentiam: iuxta nomen ipsius ecclesiæ, quo ab antiquo, Sancta Maria de Angelis vocabatur. Hunc locum vir sanctus præ cæteris mundi locis adamauit. Hic etenim coepit, hic

Assisi mendicat.

*Tria ten: la
instauras.*

*Eligit locum
S. Mariæ de
Portiuncula.*

virtuose profecit; hic foeliciter consummauit: hunc in morte fratribus, tanquam Virgini charissimum commendaui.

Matth. 10.

*Admirabile
studium pau-
perum.*

*Multos ad
Dominum
conuertit.
Bernardus
primus eius
socius.*

*Huius S.
Aegidij vi-
tam reperiet
lector 23.
Aprilis.*

In ea igitur Ecclesia vir Dei, die nocteque precibus vacans, cum die quadam inter Missarum solennia illud Euangelici audiret, quo Christus discipulis ad praedicandum mittendis, formam viuendi euangelicam praescribit, ne videlicet possideant aurum vel argentum; nec in zonis pecuniam; nec peram in via: nec duas tunicas habeant: nec calceamenta deferant, neque virgam: protinus Apostolicae paupertatis amicus, incredibili perfusus laetitia: Hoc est, inquit, quod cupio, hoc quod totis praecordij concupisco. Soluit proinde calceamenta de pedibus: deponit baculum: peram & pecuniam execratur: vnaque contentus tunica, reiecta corrigia, pro cingulo funem sumit, Apostolicisque se regulis per omnia coaptat. Coepit ex hoc vir Dei diuino instinctu Euangelicae perfectionis aemulator existere, & ad poenitentiam caeteros inuitare. Erant autem ipsius eloquia non inania nec risu digna, sed virtute Spiritus sancti plena: quae cordis medullas penetrantia vehementem in stuporem conuertebant audientes. Cuius quidem simplicis doctrinae veritas & vitae sinceritas cum multis paulatim innotesceret, coepere ipsius exemplo viri quidam ad poenitentiam animari, eidemque, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi. Quorum primus vir venerabilis Bernardus extitit: tertius Aegidius: haud vulgari sanctitate praeditus & celebri memoria dignus. Peruenit tandem eodem tempore ad septem-

septenarium numerum benedicta viri Dei fo-
boles.

Tunc pius pater de aliorum similiter salute
vehementer sollicitus, conuocatis ad se fratri-
bus, plura ad illos de regno Dei, de mundi cō-
temptu, de propriæ voluntatis abnegatione
differuit: ac postremò suum illis propositū de
mittendo eos in quatuor orbis partes aperuit.
Et quidem sciens se illis in exemplum datum, *Mittit fra-*
vno sociorum sibi assumpto versus vnam orbis *tres suos ad*
perrexit partem; reliquos sex ad modum Cru- *predicandā.*
cis alijs tribus mundi partibus deputauit. Cæ- *Psalm. 54.*
terum pro viatico singulis hoc psalmographi
tribuebat, inculcabatque: Iacta cogitatum
tuū in Domino, & ipse te enutriet. Modico au-
tem elapso post tempore, benignus pater cha-
ræ prolis exoptans præsentiam, cum per se in
vnum eos conuocare non posset, precibus suis
à Domino obtinuit, vt omnes in sperato non
sine ipsorum admiratione pariter conuenirēt:
quo tēpore, alijs viris quatuor cum primis ho-
nestis illi adhærentibus, ad duodenarium nu-
merum excreuerunt.

Cernens autem Christi famulus paulatim ac- *Conscribit*
crescere fratrum numerum; sibi suisque vitæ *Regulam.*
formulam simplicibus scripsit verbis: eamque
Romam profectus, de sola confusus directione
diuina ac cælesti visione oblata roboratus, Pó-
tifici confirmandam obtulit. At Pótifex in pa-
latio Lateranensi, altis occupatus meditatio-
nibus, deambulans, primò Christi famulū tan- *Viso Pontif-*
quam ignotum repulit indignanter. Sed nocte *ficis.*
sequenti diuina reuelatione edoctus, manda-
uit per urbem sedulò eum inquiri: inuentum-

que ad se confestim adduci. Præerat tunc Sedî Apostolicæ Innocentius tertius; vir utique sapientia clarus; qui quanquam tacitus, simplicis animi puritate Francisci perspecta, propositi constantiam ignitumque sanctæ voluntatis feruorem amore complecteretur; distulit tamen postulata probare: maximè quòd Purpuratis quibusdam Patribus nouum aliquid, & supra humanas vires arduum proponere videretur. At verò Franciscus proposita parabola, Regis cum paupere, eaque formosa muliere, matrimonium ineuntis; Non est, inquit, formidandum, quod fame pereant æterni Regis filij & hæredes; qui ad imaginem Regis Christi per Spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, & ipse per spiritum paupertatis sunt in religione pauperula generandi. Si enim Rex cælorum imitatoribus suis regnum promittit æternum, quâto magis illa subministrabit, quæ communiter largitur & bonis & malis? Hac audita parabola Christi Vicarius, cum haud mediocriter miraretur, tum cælesti visione alia, ad postulata sine vlla dubitatione concedenda, admonitus est. Videbat namque in somnis Lateranensem Ecclesiam ruinâ iam proximam dorso cuiusdam pauperis, eiusque despecti, sustentari. Qua potissimum visione excitatus, oblatam non modo à Francisco, regulam approbavit, sed & alia cuncta, quæ vellent, benignè ac largè se facturum promisit. Porro eandem Regulam vir sanctus postmodum cõpræhensus scriptam, ab Honorio Papa quoque confirmari curauit.

Fretus exindè Franciscus superna gratia &
 Pon-

*Proponit
 Pontifici p a-
 rabolam.*

*Alia Ponti-
 fi. i exhibe-
 tur visio: &
 regulam S.
 Francisci ap-
 probat.*

Pontificis auctoritate, iter versus Vallem Spoletanam arripuit. Cumque in via de perfectionis studio diutius inter se tractarent, iamque labore itineris fatigati & fama siti que exhausti in solitudine subsisterent, neque vlla alimonia spes præ manibus esset, ecce diuinitus homo adfuit, qui tradito illis pane, subito rursus euanuit. Eo diuinæ liberalitatis dono magis, quam cibo exhilarati; statuerunt firmiter nullius inedia, aut tribulationis impulsu à sanctæ paupertatis resilire proposito. Igitur ad Vallem Spoletanam reuersi cum fluctuarent animo, solitarie loca, an publica incolere deberent; Franciscus per orationis instantiam supernæ reuelationis impletus oraculo, intellexit ad hoc à Dño se missus, vt Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre.

Igitur pusilli gregis pastor Franciscus, duodenarium illum fratrum numerum, ad S. Mariam de Portiuncula deduxit, vt vbi meritis Matris Domini, Minorum sumperat ordo initium ipsius illic susciperet auxilijs incrementum. Ibi factus Euangelicæ veritatis præco strenuus, ciuitates circuibat & castra; cunctos verbis factisque ad cælestia inflammans, & copioso foetu societatem suam multiplicans; adeo vt ad extremos vsque orbis terræ fines, veri paupertatis professores peruenirent. Alij quoque quam plurimi vtriusque sexus omnis conditionis, prædicationis ipsius feruore successi, secundum formam à viro Dei acceptam nouis se penitentiae legibus vinciebant; quorum viuendi modum idem Christi seruus ordinem fratrum de penitentia nominari decreuit. Et quidem inter illustres

E 4

virgi-

Panis ei socijs diuinitus præbatur.

Deducit suos ad S. Mariam de Portiuncula.

Mirifice Ordo multiplicatur.

Instituit Ordinem fratrum de Penitentia.

*Huius vita
exiat 12.
Augusti.*

*Et diuinam
providen-
tiam.*

*Austeritas
vite eius.*

virgines quæ ad perpetuum cœlibatum conuertebantur, virgo Deo charissima Clara, virtutū meritīs ac generis nobilitate clarissima, ipsarū plantula prima, tanquam flos verians & candidus odorem dedit, & tanquam stella præfulgida radiavit. Processu verò temporis, multiplicatis iam fratribus, cū in loco B. Virginis de Portiuncula generale vt vocat, Capitulum indixisset, fratrumque multitudo ultra quinque millia conueniret, diuina opitulante clementia, & victus sufficientia suberat, & spiritualis iucunditas affluebat.

Cū autem vir sanctus cerneret indies suo exemplo plurimos ad spiritualis militiæ castra trāsire, ipse instar optimi ducis ad palmam victoriæ per culmē inuictæ virtutis suis præibat, tantaque disciplinæ rigiditate sensuū cupiditates elidebat, vt vix corporis necessitati satisfaceret. Difficilè namque fore dicebat, & naturæ necessitatibus facere satis, & pronitati sensuum non parere. Hinc sanitatis tempore cocta rarò admittebat cibaria: admissa verò aut cinere conficiebat, aut condimenti saporè aquæ admixtione inspidum reddebat. De potu verò quid dicā: cum & aqua frigida æstuantē sitis ardorem rarò plenè extingueret. Nuda humus lassato corpusculo, vt frequentius, lectus erat: & sapius sedens ligno vel lapide capiti supposito, dormiebat.

Porro qua animi virtute, qua constantia hostium vel insidias eluserit, vel insultus infregerit: hoc insigni clarissimè patet exemplo. Quotiescunque ardentem libidinis flammā in suo corpore præsentisceret, mox in fœueam glacie plenam

plenam seipsum plerumque mergebat, ut cadi-
 dum pudoris vestimentum, à voluptatis incen-
 dio præseruaret. Aliquando verò cum vehe-
 mentior carnis tentatio eum infestaret, primò
 deposita veste, funiculo seipsum seuerè casti-
 gavit: Indè admirado spiritus feruore anima-
 tus, aperta cella, foras in hortum profiliens,
 nudum se planè in magnam demersit niuem;
 septemque ex ea plenis manibus compingens
 massas, suo sic exteriori homini loquebatur.
 Ecce hæc maior vxor tua Franciscæ; quatuor i-
 stæ, duo filij & duæ filiæ: reliquæ duæ, seruus &
 ancilla. Festina igitur omnes induere, quoniã
 frigore moriuntur. Si verò multiplex eorù so-
 llicitudo molestat, vni Domino sollicitè serui.
 Hoc stratagemate & hostis ilicò fugatus est; &
 vir diuinus cum victoria ad cellam reuersus,
 nūquam deinceps à libidine impugnatus fuit.
 Non modò autem mortificari debere dicebat,
 vitia carnis, & eius incetnua frenari; verum-
 etiam exteriores sensus, per quos mors intrat
 ad animam, summa viligantia custodiri. Mu-
 tierum familiaritates, colloquia & adspectus
 qui multis sunt occasio ruinæ sollicitius euita-
 ri iubebat: asserens per huiusmodi debilem
 frangi, & fortem sæpè spiritum infirmari. Do-
 cuit insuper discretionem in omnibus sectan-
 dam, ut aurigam virtutum; non eam quidem
 quam caro suadet: sed quam edocuit Christus
 sacratissima vira sua.

*Egregiè in se
ardorem li-
bidinis com-
pescit.*

*Sensus custo-
diendi.*

Hieremi. 9.

*Femina vi-
tanda.*

Ociū autem omniū malarum cogitationum
 sentinā, docebat summo perè fugiendū, & re-
 bellem ac pigram carnem disciplinis cōtinuis
 & fructuosis laboribus edomandā. Vndè cor-
 pus

*Ocium sum-
moperè ca-
uendum.*

Perpetuis lachrymis oculos valdè ladi.

En vt vetudiu superbie tumorem.

pus suum fratrem asinum appellabat; tanquam laboriosis subdendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo sustentandum. Porro licet iam esset adeptus cordis & corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lachrymarum imbris iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum, incurrisset gravissimam, suadente sibi medico, quod abstineret è lachrymis, si corporis visus cæcitatem vellet effugere, vir sanctus respondit: Non est, frater medice, ob amorem luminis quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere: quam lachrymas, quibus oculus mundatur interior impedire. Humilitatem verò, quæ omnium virtutum custos est & decor, tanta contentione animique pertinacia sectabatur, vt frequenter omni seposito pudore, suos ipse defectus populo panderet; seque peccatorum omnium maximum pronunciaret. Cumque frater quidam hoc sana cōscientia eum dicere nō posse assereret, ille: Immo inquit, si quantumcunque sceleratum hominē tanta fuisset Christus misericordia prosequutus, arbitror sanè, quòd multò quàm ego, Deo gratior esset. Laudantibus verò eum dicere solebat: Filios & filias adhuc habere possum, nolite laudare vt securum. Nemo laudandus, cuius incertus est exitus. Et ista quidem laudantibus;

tibus ; sibi verò hoc frequenter inculcabat: Latroni si tanta contulisset altissimus, gratior te foret, Francisce. Accidit vt femel infirmitate graustus, rigorem abstinentiæ non nihil relaxare cogeretur, Viribus autem corporis vtcunque resumptis, verus sui contemptor, Non est, inquit, conueniens, vt populus me abstinentem credat, & ego in occulto carni indulgeam. Moxque ligato ad collum fune, à fratribus ad sceleratam petram se pertrahi mandauit: ibique concionabundus inter alia populo nunciauit, se non tanquam spiritua- lem hominem honorandum, sed tanquam car- nalem & glutonem ab omnibus contemnen- dum.

*En exemplum
summe hu-
militatis &
animi can-
doris.*

Vt autem pluribus modis negociator hic Eu- angelicus lucraretur, ac totum præsenstem- pus constaret in meritum; generalis cedens of- ficio, Guardianum vt vocant, petijt; cuius voluntati per omnia subiaceret. Tam enim vberem asserabat sanctæ obedientiæ fructum, vt eis qui iugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transfiret. Hinc fratri iti- neris sui cuiuscunque socio, semper obedi- entiam promittere ac seruare consueuerat. Cum verò vice quadam quæreretur ab eo, quis es- set verus obediens iudicandus; corporis mor- tui similitudinem pro exemplo proposuit; Tolle (inquiens) corpus exanime, & vbi pla- cuerit pone; videbis non repugnare mo- tum, non murmurare situm, non recla- mare dimissum. Quod si statuat in ca- thedram, non alta sed ima respiciet; Si

*Submittit se
alterius vo-
luntati in o-
mnibus.*

*Obedientiæ
quale meri-
tum.*

colle-

*Verè obediens
quis sit.*

*En quanta
requiratur
perfectio in
Religioso.*

*Franciscani
cur Minores
dicti.
Matth. 20.*

*Paupertas
virtutum
regina.*

collocetur in purpura, duplò palleſcet. Sic ve-
rus obediens, cur moueatur non dijudicat; vbi
locetur non curat: vt tranſmuteur non inſtat.
Euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatē:
plus honoratus, plus reputat ſe indignum. Di-
xit quoque aliquando ſocio ſuo: Non mihi vi-
deor frater minor, niſi in eo, quem tibi deſcri-
pſero, ſtatū inuenior. Eccè caput rectorq; fra-
trum exiſtens, concionabundus capitulum in-
gredior; prædico, & commoneo fratres. Illi in
fine ineptum, elinguem, idiotam & indoctum
me clamitant. Tandem eijcior; cum opprobrio
vilipenſus ab omnibus. Dico tibi, niſi eodem
vultu, eadem mentis lætitia, & eodem ſancti-
tatis propoſito hæc verba excepero frater mi-
nor nequaquam ſum. Et Addebat: In prælati-
one caſus, in laude præcipitium, in humilitate
ſubditi, animæ lucrum eſt. Cur ergò periculis
plus, quam lucris attēdimus, cū præſens hoc
tempus ad lucrum acceperimus? Hac igitur de
cauſa vir ſanctus fratres ſuos Minores appel-
lari voluit, Ordinifque ſui prælatos Miniſtros;
vt & verbis vteretur Euangelij, quod obſerua-
re promiferat; & ex ipſo nomine diſcerent di-
ſcipuli, quod diſcendæ humilitatis ergò ad hu-
milis Chriſti ſcholas veniſſent.

Porro paupertatis Chriſti cum eſſet ſingu-
laris ſectator, in hoc maximè ſuus offendeba-
tur adſpectus, ſi quicquam videret in fratribus,
quod paupertati non per omnia conſonaret:
hanc ſiquidem virtutum aſſerebat eſſe reginā,
quia in Rege Regum & in Regina matre ipſius
tam præſtanter effulſit. Hanc ſpiritualem viam
ſalutis tanquam humilitatis fomentum, per-
fectio-

fectionisq̄ue radicem prædicabat. Hanc sui ordinis dicebat fundamentum: cui substrato primariè, sic omnis structura religionis innititur, vt ipsius firmitate firmetur, & euersione funditus euertatur. Ideoq̄ue non nisi expropriatos & nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem: tum propter verbum sancti euangelij, tum etiam ne forent in scandalum loculi reseruati. Vnde & eleemosynis ostiatim quæsitis *Matth. 19.* vtebatur multo libentius quàm oblati. Si quãdò enim inuitatus à magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deindè sic ditatus inopia, discumbebat. Fratres quoque suos ad petendas eleemosynas sedulò hortabatur: Ite (inquiès) quoniam hac nouissima hora fratres minores comodati sunt mûdo, vt electi in eis impleant, vnde à Iudice commendentur, illud audiètes suauissimum verbum; Quamdiu fecisti vni ex fratribus meis minimis, mihi fecisti. Iucundum proindè dicebat, sub fratrum minorum titulo mendicare, quem in retributione iustorù Euangelicæ veritatis magister ore suo tam signãter expressit.

*Matth. 19.**Docet fratres suos mendicare Matth. 25.*

Pietas verò, quæ secundum Apostolum, ad *1. Tim. 4.* omnia valet, ad eò cor Francisci repleuerat ac penetrauerat, vt totum videretur seruum Dei in suum dominium vèdicasse. Cùm autem per hanc, piè moueretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Iesu precioso sanguine redemptas, cùm aliqua peccati sorde inquinari cerneret, tanta miserationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam mater in Christo quo-

Pietas eum eximia.

*Detesta-
tur obreſſa-
tiones.*

quotidiè parturiret. Afflictis quoque, qualicū-
que corporis moleſtia, miro pietatis affectu
ſuccurrebat, & ſi quid penuriæ, ſi quid defectus
in aliquo cerneret, pij cordis dulcedine rege-
rebat in Chriſtum. Detractionis quoque vitiū,
inimicum fonti pietatis & gratiæ, tâquam ſer-
pētinum abhorrebat morſum, & atrociffimam
peſtem; & piſſimo Deo abominabile fore di-
cebat: pro eo quod detractor animarum ſan-
guine paſcitur, quos gladio linguæ necat. Con-
ſideratione quoque primæ originis omnium,
creaturas quantumlibet paruas, fratris vel ſo-
roris appellabat nomine: pro eo quod ſciebat
eas vnum ſecū habere principium. Illas tamen
viſcerofius amplexabatur & dulcius, quæ Chri-
ſti manſuetudinē ſimilitudine naturali præ-
dunt & ſcripturę ſignificatione figurât. Erat il-
li ingenita clementia, quam ſuperfuſa Chriſti
pietas duplicabat. Haud vulgariter igitur de
ſanctiſſimi viri pietate eſt ſentiendum: quæ tâ-
tæ fuit dulcedinis atque virtutis, vt domaret
ferocia, domesticaret ſylueſtria, manſueta do-
ceret, & brutorum naturam homini iam lapſo
rebellem, ad ſui obedientiam inclinaret. Verè
hæc eſt, quæ cunctas ſibi creaturas conſcede-
rans, valet ad omnia, promiſſionem habens vi-
tæ, quæ nunc eſt & futuræ.

1. Tim. 4

*Erga ſacro-
ſanct. Eucha-
riſtiam eius
amor ingens.*

Porro charitatem feruentem, qua ſponſi
amicus Franciſcus ardebat, quis enarraſe ſuf-
ficiat? flagrabat ſanè erga Sacramentum Do-
minici Corporis feruore omnium medulla-
rum; ſtupore admirans permaximo illam dig-
nationem chariſſimam, & charitatem dignan-
tiſſimam. Sæpè communicabat, & tâ deuotè, vt
alios

alios deuotos efficeret ; dū ad immaculati agni degustationem suauem, quasi spiritu ebrius in mentis vt plurimum rapiebatur excessum. Deiparam Virginem, Angelicos spiritus, denique sanctos omnes summo complectebatur amore. Saluti animarū nihil præferendū esse dicebat; eo maximè probans, quod vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce p̄dere. Hinc sibi in oratione luctamè; in prædicatione discursus: & in exemplis dādis excessus.

Feruenti quoque charitatis incēdio gloriosum sanctorum martyrum æmulabatur triumphum. Sexto namque conuersionis suæ anno, desiderio martyrij flagrans, ad partes Syriæ Saracenis & alijs infidelibus Christi Euangelium prædicaturus transfretare disposuit: sed fuit eius desiderium diuinitus bis impeditum, contrarijs nimirū ventis, morboque interueniente præcisum; ne absens teneram adhuc Ordinis sui prolem planè deseruisse videretur. Tertio verò decimo conuersionis suæ anno ad partes Syriæ tertiā vice intrepide pergens, multis se periculis cōstanter exposuit, vt Sultani Babylonix posset adire præsentiam. Erat enim Christianos inter & Saracenos implacabile bellum; exercituum castris hinc indè in cāpo cominus exaduerso locatis: vt via mutui trāsitus sine mortis discrimine non pateret. Siquidem ipse Sultanus Byzantium aureum præmij loco, cuius propoluerat, qui Christiani hominis, incisa ceruice, caput adferret. Ea re ad certā martyrij spem excitatus Franciscus, alacriter assumpto socio ad Sultani castra perrexit: moxq; ab obuijs

*Item ergā
Christi ma-
trem & san-
ctos omnes.*

*Item ergā
mortalium
animas.*

*Flagrans de-
siderio mar-
tyrij vult irē
ad Sarace-
nos, sed diu-
initus retar-
datur.*

*A Saracenis
malè tracta-
tur.*

*Studet mo-
dis omnibus
conuertere
Sultanum.*

*Contemnit
munera Sul-
tani.*

obuijs militibus exceptus, primò multis con-
uicijs oneratus, indè verberibus crudeliter o-
neratus fuit: ac postremò Sultano oblatus, in-
terrogatus à quibus & ad quid missus esset, in-
trepido corde Christi seruus respondit: Equi-
dem non ab homine, sed à Deo altissimo mis-
sus sum, vt tibi tuoque populo salutis viam o-
stendam, & veritatis Euangelium annūciem.
Sultano autem admirandum in viro Dei fer-
uorem spiritus virtutemque tacite consideran-
te, Franciscus superno illustratus oraculo, Si,
inquit, hæfitas legem Mahometi propter Chri-
sti fidem dimittere, iube copiosum accendi ignem,
vt ego tuis cum sacerdotibus eum ingre-
diar; & sic tandem ignis ostēdat, cuius certior
sanctiorque fides habenda sit. Sultano hanc vi-
ri fiduciam magis magisque stupefcente, & sa-
cerdotibus ad eam conditionem trepidantibus
ac fugientibus; quā igitur, inquit Franciscus,
solus ego flammam subibo, si modò spondere
velis, te ad sanctissimam Christi sacra transitu-
rum, si ego illæsus supplicium euasero. Sulta-
nus seditionem populi cum formidaret, hanc
optionem accipere se non audere rēspōdit:
attamen protinùs ingentem pecuniæ vim ei
obtulit, aliaque haud contemnenda mune-
ra; quæ vir diuinus constanter reiecit: afferens
præter animarum salutem se in hoc mūdo de-
siderare nihil. Hæc tam admiranda viri virtus,
ipsi etiam hosti virtutum omnium Sultano ad-
eò grata acceptaque fuit, vt hominem arctio-
ri quodam amoris vinculo complecteretur,
tantisque prolequeretur honoribus, quantis al-
ium neminem. At verò Christi seruus, qui

non honores, sed sui cōtemptum ac ipsam pro
Christo mortē venabatur, cernens se gentis sa-
lute, & martyrij desiderio fraudari, ilicō, reli-
cto Sultano, ad partes fideiū, diuina reuelati-
one edoctus, remeauit. Porro cū iam ad terre-
na foris desideria per Christi charitatem totus
esset insensibilis factus, ne foret absque conto-
latione dilecti, sinē intermissione orans, spiri-
tum Deo contendebat exhibere præsentem,
vndē & gratiam orationis viro religioso desi-
derandam super omnia firmiter asseribat: nul-
lumque credens sinē ipsa in Dei prosperari
seruitio, modis quibus poterat fratres suos ad
eius studium excitabat. Ambulans siquidem
& sedens, intus & foris laborans & vacans, o-
rationi aded erat intentus, vt illi videretur,
non modō quicquid erat in eo cordis & cor-
poris, verum etiam operis & temporis, dedi-
casse. Suspendebatur multoties tanto contem-
plationis excessu vt suprā semetipsum raptus,
vltraque humanum sensum aliquid sentiens,
quid ageretur circā se exterius ignoraret. Ad
loca verō solitaria pro intentione conseruan-
da recollectione oraturus nocte pergebat: vbi
dæmonum pugnās horribiles frequenter susti-
nuit, sensibilibus secū confligentium, & ab ora-
tionis studio ipsum perturbare conantiū: quos
ille inuocato Christi numine eximia mentis
constantia spreuit, ac confusos abscedere com-
pulsit. Visus est aliquādō orās manibus ad mo-
dum Crucis protēsis, toto corpore subleuari à
terra, & nubecula quadam fulgēte circumdari:
vt illustrationis mirabilis intrā mentem, mira
circā corpus perlustratio testis esset. Horas au-

*Cum nihil
proficeret a-
pud Sarace-
nos reuertē-
tur ad suos.*

*Quā fueris
assiduum in
oratione.*

*Item in con-
templatione.*

*A Dæmoni-
bus inest-
ur.*

*En indicia
seruentis-
mæ oratio-
nis.*

F tem

*En vt per-
soluerit ho-
ras canoni-
cas.*

tem Canonicas non minus timoratè quam de-
uotè Deo persoluebat: psalmos cum tanta mè-
tis attentione recitans, quasi Deum præsentem
haberet.

*Diuinitus e-
doctus intel-
ligit Scriptu-
ras, & cla-
ret prophe-
tia spiritu.*

Et quidem ad tantam mètis serenitatè, inde-
fessum orationis studium cum continua exer-
citatione virtutum, virum Dei perduxerat, vt
quamuis nullam sacrarum literarù per doctri-
nam haberet peritiam, aternæ tamè lucis irra-
diatus fulgoribus, scripturarù profunda miro
intellectùs scrutaretur acumine. Penetrabat e-
nim purum ab omni labe ingenium mysterio-
rum abscondita; & spiritus eius superno illu-
stratus lumine, futura præuidebat; cordiù con-
tuebatur occulta; absentia quoque haud secus
ac præsentia cernebat; & se præsentem absen-
tibus mirabiliter exhibebat.

*Quam potens
fuerit in ser-
mone & o-
pere.*

Ceterùm efficaciam concionù eius ac mira-
culorum imbres quis enarrare sufficiat? Erat
enim verbum eius velut ignis ardens penetràs
intima cordis: omniumq; mentes admiratione
replès. Per diuersas itaq; regiones progrediès,
euangelizabat ardèter, Domino cooperatè &
sermonè confirmante admirandis signis: simul
sanctitatè corporibus reddens & cordibus. Eij-
ciebat dæmonia; quacunq; infirmitate deten-
tos sanabat: In sceleribus obduratos ad sanio-
rem mentem reducebat.

*Genes. 28.
Distributio
tèporis eiu.*

Sed enim mos erat Angelico viro nunquam
ociari à bono: quin potiùs instar superno-
rum spirituum in Icala Iacob, aut ascendebat,
in Deum, aut descendebat ad proximos. Nam
tempus sibi concessum ad meritum ita prudè-
ter partiebatur, vt aliud lucris proximorum
labo-

laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Biennio itaque, ante quàm spiritum cælo redderet, diuina prouidentia duce, ad montem Aluernæ perductus est. Ibi cum ad honorem Archangeli Michaelis Quadragesimam ieiunare cœpisset, & Seraphicis desideriorum ardoribus sursum ageretur in Deum, quodam manè circa festum Exaltationis S. Crucis, vidit Seraph vnum de cælorum sublimitate descendere, sex alis non minùs ignitis quàm splendidis coruscantem. Porro inter alas, hominis Crucifixi apparebat effigies. Duæ alæ super caput ipsius eleuabatur; duæ ad volandù extēdebatur; duæ verò totum velabāt corp⁹. Hoc vidēs vehemēter obstupuit, mixtumq; mœrore gaudiū cor illius incurrit. Ea autē visione disparēte, mirabilem protinùs sensit in corde ardorem; viditque statim manus & pedes atque latus suum sacrosanctis Christi stigmatibus signata. Cernens verò vir Dei ea vulnera carni tam luculenter impressa, & dexterùm latus quasi lancea transfixum tunicam ac femoralia sæpè sanguine respergere: nitebatur ille quidem modis omnibus ea occultare: sed Dominus ipse qui signacula illa secretè impresserat, miracula quædam apertè per ipsa edebat, vt illorū occulta & mira vis stigmatū manifesta pateret claritate signorum.

*Apparet ei
Christus crucifixus.*

*Inprimuntur
ei quinque
vulnera.*

Zelum animarum.

Christo igitur iam Cruci confixus, tam carne quam spiritu, non solum Seraphico in Deū æstuabat amore, verum etiam animarum omnium salutem incredibili sitiebat ardore. Cūque propter excrescētes in pedibus clauos ambulare nō posset, corpus emortuū per ciuitates

*Morbis con-
tinuis exer-
setur.*

*Patientia e-
ius summa.*

*Vide exi-
miam pau-
pertatem.*

*S. Franciscus
totus Euan-
gelicus.*

& castra circumuehi curabat; vt voce ad Chri-
sti Crucem ferendam ceteros animaret. Vt au-
tem viro Dei cumulus meritorum accresceret,
quæ omnia verò in patientia consummantur,
cœpit tam vehementibus, ijsque continuis, ex-
cruciari morbis, vt consumptis iâ carnibus so-
la cutis ossibus cohæreret. Cû autê grauius do-
lorû vrgeretur aculeis, duro casu debilia hu-
mi collidens ossa, exclamabat: Gratias tibi ago
Domine Deus pro hisce doloribus; teq; rogo,
vt centuplum, si placet, addas: nam tua mihi
voluntas in omnibus gaudio & solatio est. Ad-
mirandum erat hoc fratribus spectaculum; vi-
rum sanctum tanquam alterum Iob acerbissi-
mis passionum doloribus excruciatum, cerne-
re in crescente carnis languore maiorem men-
tis vigorem sumere, & Deum multò ardentius
glorificare.

Cû itaque toto ab impressione sacrorum
stigmatû biennio, anno videlicet à sua conuer-
sione vicesimo, multis fuisset pœnarum angu-
stijs excoctus, tandem obitûs sui haud ignarus,
ad S. Mariam de Portiuncula se portari popo-
scit; vt vbi acceperat spiritum gratiæ ibi redde-
ret spiritum vitæ. Eò perductus mox, vt osten-
ret sibi nihil cum terrenis cupiditatibus esse
commune, nudum se in nudam prostrauit hu-
mum; vt in extrema illa hora nudus cum nudo
hoste luctaretur. Itaque tota mête ad res diui-
nas animo recolendas cõuersus; cû præclare
multa de paciëntia & paupertate & fide Roma-
næ Ecclesiæ seruandis ad fratres differeret, tû
sacrofanctum Euāgelium ceteris institutis an-
teferendum cûctis edixit: ac postremò benedi-
ctione

Etione peramanter ac piè impartita, omnibus alijs cogitationibus abiectis, locum Ioannis, quo Christi passionem exponit, sibi legi faciebat. *Ioan. 13.* Qua lectione cum mirum in modum delectaretur, tandem voce, qua poterat, in Psalmum 141. erumpens, versu illo, Me expectant iusti, donec retribuas mihi, suaviter prolato, ex ergastulo corporis in cælum emigravit. Porro sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic à die transitus sui usque in præsens per diuersas mundi partes præclaris miraculorum prodigijs, diuina se potentia glorificante, coruscat. Nam præter cæcos, surdos, mutos, claudos alijsque necessitatibus afflictos ipsius meritis curatos; complures & mortui mirificè fuere suscitati.

*Felicissimè
migrat.
Eximij clarè
miraculè
post obitum*

VITA ET PASSIO SS. PLACIDI *Vide C. Ba-*
monachi, discipuli sancti Benedicti, & fra-
trum eius, Victorini, Eutychie ac sororis Fla-
uia virginis, Donati, Firmati, Diaconi, ac
Fausti & aliorum triginta, Ex actis, à Gor-
diano eiusdem Martyris famulo, iussu Iusti-
niani Imperatoris conscriptis. Tempus passionis
patet infra. *ron. Annal. Tom. 7.*

TEMPORE, quo Theodoricus 2. Gothorum in Italia Rex, in seniore Roma, in noua verò Iustinus senior & Iustinianus Romani Imperij scèptra moderabantur, Tertullus vir nobilissimus, & in vtraque euria Romani Imperij post Augustos nulli secundus, ac patriciatùs honore in suo merito decoratus, tanta sapientiæ, fortitudinis atque

** Constanti-
nopoli.*

*Eximia laus
patris eius.*